(56)

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Literas v. v. mense Martio ad me datas accepi Madritij, quo
accesseram, prostrema quod accepissem, quosdam de Dominicanorum
familia, atque inter eos Banes ac Zumel, occultas insidias parare, tum
alijs libris a nostra societate editis, tum praecipue Concordiae nos-
trae ac comentarijs in primam partem, quos tamquam doctrinae ipsorum contrarios et oppositos
semper habuere.
Potestate enim accepta a supremo sanctae inquisitionis senatu
examinandi expurgatorium librorum, quo opera ab eodem tribunali damnarentur,
operamque suam
adhibendi circa illius reformationem, duo illi autores, cum
quibusdam alijs salmanticensis academiae, quasi iudices ac
censores nostrorum operum se constituerant. quod ut rescivi,
ad sanctum illum senatum accessi, facileque obtinui, ut illi a iudi
cio circa nostra opera ferendo amoverentur, et ut
ipsorum opera simul cum nostris examini
aliorum committerentur, obijciens, multa in comentarijs illorum
in primam D. Thomae partem plusquam periculosa in fide conti
neri, imo vero errores lutheranos in eis reperiri, quod satis
aperte, ut arbitror, demonstravi. Atque ex nostris, tum defen
sionibus, tum etiam oppositionibus, sancto illi tribunali obla
tis (quam tamen hucusque oppositionem ignorem, quid illi ad
versus nos moliti sint) Apologia optima confici potest, ex qua
nec parum roboris novae editioni nostrae Concordiae,
nec lucis parum rebus, quae in ea pertractantur, in latissime utili
tatem accedet. Eam vero typis hic in Hispanijs iam mandassem, vel
ut in nova editione post Appendicem, tamquam
opus Concordiae annexum, istic cuderetur misissem, nisi
offensionem sancti huius tribunalis extimescerem, si ante rem
ab eo definitam, opus hoc ederetur. Arbitror nostrae doctri
nae nihil periculi, adversariorum vero
plurimum imminere. Ubi primum res haec definita fuerit
opusculum hoc ad vos mittam, ut eisdem typis quibus editio nova Con
cordiae cudatur, illius adijciatur. Poterunt autem exemplaria non pauca
in Hispanias transmitti, praeter illa quae codicibus
novae editionis Concordiae inserentur, pro ijs, qui Concordiam antiquae editionis habent. Tametsi
arbitror, plurimos ex eis exemplaria novae editionis libenter empturos.

Biblioteca Universitaria de Granada

Optarem, si nova Concordiae editio iam prodijt, quanta
maxima celeritate codex unus ad reverendum patrem generalem nostrum
mitteretur, et duo alij ad me. Fortasse enim pater noster genera
lis approbationem illius a Sancta Sede Apostolica examine prae
vio in maiorem illius autoritatem ac firmitatem obtinebit; ut
vellemque ut potius haec nova editio, quam antiqua,
ita approbaretur. Utile etiam erit hanc novam editionem in His
panijs, interim dum lis haec pendet, pervulgari
atque a iudicibus causae et ab alijs legi. Haec mi pater causa
fuit, cur,
quousque in hanc civitatem redi, otium non habuerim, ut
responsum ad literas. v. v. darem.
quod ad primum eorum attinet, circa quae. v. v. pro sua animi
submissione, nostrum iudicium audire desiderat. Dubitandum non est
Deum optimum maximum, comprehensione sui ipsius, determina
tionisque suae voluntatis, in se ipso, tanquam in causa eminentissima
omnium rerum, eminentissimo modo continente omnes gradus, etiam
singulares, rerum omnium possibilium, tam quoad earum essen
tias, quam quoad existentias, intuitive cognoscere res omnes, quan
do, et ubi existunt, est tamen in eo aeque perfecta, dilucida, ac evidens
tum cognitio simplicis intelligentiae, quod ex tali vel tali
hypothesi existerent in tali parte temporis et spatij res, quae nunquam ex
tent, tum etiam cognitio qua, antequam res existant
cognoscit eas futuras, posita determinatione aeterna suae voluntatis,
una cum comprehensione rerum omnium in se ipso; quam sit eadem cog
nitio, quando iam illas existere intuetur in tali parte temporis et spa
cij, in quo re ipsa existunt. Neque in scientia ipsa
in se est ullum prorsus discrimen uno, et alio tempore, sed solum in
obiecto, quod uno tempore existit, et alio non. quod vero ad beatos atti
net, non caret probabilitate maxima, cum essentia divina omnia in se
quoad omnes gradus, essentias, ac existentias, eminentissimo
modo contineat, ac proinde vim speciei abstractive et intuitive repre
sentantis quoad omnia possibilia obiecta habeat, per
illam cognoscere beatos res, quas ex
et in illa penetrant, solum in ratione possibilium interim dum non existunt
atque adeo abstractive; quando vero iam existunt, non secus illas intueri
ubi existant, atque adeo quando existant, ac si illas intuerentur si spe
cies ab ipsis rebus desumptas haberent, ita ut conditio
sine qua† non repraesentat beatis intuitive ubi res existat, sit existentia ipsa rei, idque
non ex defectu essentiae divinae in qua, et per quam res cognoscitur, sed quia
repraesentare non potest rem ibi existere, ubi non est. quemadmodum, qui
affirmant angelos cognoscere per congenitas atque innatas species, idem sim
liter dicunt de illis speciebus: multo autem magis id locum habet in essentia di

† essentia divina ita cognita

nina, quae eminenter id totum continet. qui hoc non probaret, dicat, beatos non cognoscere in intuitu res, quando et ubi existunt, vi solius intuitus divinae essentiae, ~~et~~ eo quod illam non comprehendant una cum determinatione divinae voluntatis, ut Deus seipsum comprehendit, sed ad id esse necessarium, fieri novam manifestationem ~~—~~, vel in proprio genere, vel in ipsa visione, eo modo quo q. 12. explico, similis manifestationem futurorum contingentium, quae ad statum cuiusque eorum cognoscere spectat, ante quam in rerum natura existant. Neque enim haec vi ~~intuitus~~ tantum intuitus divinae essentiae cognosci ab eis possunt, ut ibidem ex ~~plicavi~~ planavi.

Quod ad secundum attinet, malitia ~~—~~ moralis, seu formale peccati; ~~tum~~ explicatur per illa verba ~~diff~~ definitionis peccati, contra legem Dei, posita est vero in privatione, non quidem bonitatis alicuius, quae inesse debebat actui, quo peccatur; neque ~~—~~ enim odio Dei, aut cuicumque alteri actui peccati, nata est inesse bonitas moralis. Neque item malitia moralis est posita in privatione actus virtutis contrarii. Sed cum homo conformis esse debeat rectae rationi ac legi Dei, ab illa non declinando, neque per omissionem, neque per commissionem, utique conformitas illa, non fornicando, non furando, non odio habendo Deum &c. est bonitas moralis, obiectiva tamen, quae inesse nobis debet, si rei, transgressoresque nostrae regulae in operando, ac mali moraliter, ac peccatores esse non velimus. In privatione ergo istiusmodi bonitatis ac conformitatis rectae rationi et legi Dei, quae in nobis inesse debebat, et qua ~~privamur peccando, tum~~ omissione, aut ~~—~~ commissione peccando privamur, consistit ~~—~~ formalis ratio peccati ac malitia moralis. ~~—~~ omissio autem et commissio, quae sunt materiale peccati, quia illam efficiunt, ~~sunt peccata~~ dicuntur et vere sunt peccata ab eiusmodi privatione seu aversione a lege Dei, ~~quam efficiunt~~ cuius sunt causa: nosque ipsi, quia ~~—~~ voluntarie omittendo aut committendo illam efficimus, ~~peccamus~~ peccatores, mali moraliter, atque aversi a Deo et lege ipsius peccando eo ipso efficimur. Atque pro diversitate legum, ~~le~~ quas transgredimur, peccata specie distinguuntur, ut 1a 2ae late explicamus. quia vero privatio haec conformitatis, seu transgressio legis, eo est gravior et peior, quo id, quod prohibetur, aut praecipitur, plus expedit, aut peius est, et prout operans uno, aut ~~altero~~ alio modo affectus ~~operatur operatur vel omittit~~, legem transgreditur, atque ex aliis circumstantiis concurrentibus, inde proficiscitur, quod peccata aequalia non sint quoad culpam ac malitiam, sed inaequalia. Quare non arbitror malitiam moralem esse alterius rationis in peccato omissionis et commissionis, quasi in uno consistat in aliquo positivo, et in alio non. Neque item arbitror consistere in ordine illo positivo comparatione obiecti, ut V. V. intendebat. Haec summatim sint dicta, quae multis poterant explicari

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

218

Quod ad 3um attinet, respondeo, septem spiritus sancti dona aliquo modo esse distincta a virtutibus. Tametsi dubitem, an sint habitus infusi, quibus disponamur ad sequendum motum spiritus sancti supernaturalem, correspondentes; an vero sint soli motus ipsi; atque spiritus sanctus dicatur plus vel minus requiescere super aliquem per haec dona, quo plus vel minus illi assistit ac frequentius, vel minus frequenter illi influit hos motus. Quia ergo fides est obscura, eaque sola parum excitat fervorem caritatis nisi adsint illustrationes peculiares aliquae spiritus sancti, tria dona constituuntur ex parte intellectus, ad id praecipue inservientia. Aut enim illustratur intellectus in ordine ad ipsum Deum agnoscendum, quoad ipsius essentiam et attributa, et tunc est donum sapientiae fidei superadditum, quo fidelis anima per contemplationem in cellam vinariam introducitur, caritasque in ea ordinatur. Atque de hoc dono frequens est sermo in scripturis, includitque ac supponit caritatem. Aut vero illustratur circa creaturas, indeque in Deum reflexo ut vocant, radio evehitur, et est donum scientiae piae in quo excelluere beatus Antonius et alii. Aut illustrationes sunt circa scripturas sacras ad cognoscendos et penetrandos varios illarum sensus, et cognoscendum mirabilia de lege Dei, et est donum intellectus. Quod Christus contulit apostolis dum sensum illis aperuit ut intelligerent scripturas. Multosque intelligentiae spiritu hoc modo replet, qui in Ecclesia quasi imbres emittunt eloquia sapientiae suae. Atque hic illustrationis radius licet directus sit comparatione scripturarum, est tamen reflexus comparatione Dei, dum ea via Deus in sui ulterius cognitionem et amorem eos rapit, quos ita illustrat. Quatuor vero alia dona conferuntur a spiritu sancto in ordine ad agibilia. Et donum consilii respondet prudentiae, dum Deus circa agibilia supernaturaliter illustrat ad penetrandum quid magis expediat. Pietas vero est supernaturalis affectus, quo ex reverentia Dei quis supernaturaliter afficitur tum ad cultum Deo exhibendum, tum etiam ad benefaciendum aliis, atque hoc donum respondet iustitiae et virtutibus illi annexis. Fortitudo est robur et firmitas supernaturaliter immissa contra timores atque ad aggrediendum ac persistendum in rebus arduis. Et respondet fortitudini virtuti cardinali. Contra inordinatas concupiscentias supernaturalis immittitur timor, quo iustus ex Dei reverentia arcetur a noxiis concupiscentiis ne illius amicitia inter ipsum et Deum maculetur. Et hoc donum respondet virtuti cardinali temperantiae. Quare dona spiritus sancti adminicula sunt supernaturalia (theologales et cardinales virtutes ad supernaturalem finem corroborantia atque adiuvantia. Atque hoc est, quod de hoc tertio sentio.

Quod ad 4m attinet, probabilius et consonantius doctrinae Pauli 1. ad Cor. 13. arbitror, amores illos non esse specie distinctos. Obscuritas vero et claritas obiecti cogniti, infert quidem distinctionem specificam in notitiis, non vero in amore. Caetera vero, quae v. v. adducit probant quidem ferventiorem multo et suaviorem esse dilectionem in patria, quam in via, et ideo explere in patria appetitum, et non in via,

non vero probant distinctionem specificam. Item data distinctione speci
fica ~~in caritate~~ in actu caritatis patriæ & viæ, concedendum esset, vel
habitum caritatis in via non elicere proprium sibi actum, vel in
patria non elicere proprium sibi actum, sed alterius speciei aeque pro
prio actu: habitus enim viæ & patriæ eiusdem rationis et spe
ciei est in via & in patria, ut aperte colligitur ~~ex~~ ex Paulo.

Quod ad 5.m attinet, sufficienter ea persuadent dari aliquando confessionem informem

Quod ad 6.m attinet, subeunt quidem, sed naturaliter habent illud bene
ficio quantitatis, ob quam habent partem extra partem in ipsismet,
et ob id sunt quanta per accidens, in ipsismet quidem, sed benefi
cio alterius; eamque extensionem, hoc est, habere partem extra partem, potest Deus conservare sine quan
titate; eo quod non sit effectus formalis quantitatis, sed quasi mate
rialis, ~~minime quasi intrinsecus~~ ac velut dispositivus. extensio
nes tamen illæ per accidens non sunt dicendæ quantitates, neque impe
diunt penetrationem unius cum alia, sicut impedit vera quan
titas, seu extensio per se.

Quod ad 7.m attinet: respondeo esse omnimodam necessitatem, neque
extensiones illas per accidens, seu existentias partium non ubi aliæ,
esse ~~possent~~ naturaliter nisi ratione alicuius extensi per se, hoc
est, quod ex se habet partem extra partem, et non beneficio al
terius ipsum extendentis: quod naturaliter esse non potest pene tra
tive cum alio quanto per se, ut testatur experientia; sicut multa per accidens
quanta penetrative sunt in uno quanto per se, ut experi
entia etiam testatur.

Quod ad 8.m attinet, dicendum omnino est, ~~omnes~~ qualitates
omnes primas, et cetera corporalia accidentia subiectari in materia
per quantitatem, tanquam per immediatum subiectum quo +, atque adeo
~~eadem~~ dependentia materia mediante eadem quantitate tanquam subiecto
quo, ~~alio~~ immediato. Eo autem ipso, quod quantitas a Deo sustentatur sine
materia et substantia panis, supplendo causalitatem materialem subs
tantiæ per novum, ac potentiorem influxum in genere causæ
efficientis in quantitatem ~~...~~, sustentari in ea accidentia corpo
ralia, quæ erant in substantia panis, reddique potentem ad re
cipienda accidentia, quæ actione extrinseci agentis adveniunt;
nisi forte quis dicat, novum etiam influxum in singula corporalia
accidentia requiri, ut ~~sola~~ sustententur, et mediata causalitas
materialis absentis ~~mata~~teriæ ac substantiæ panis suppleatur,
quod non videtur verum.

+ pullulant enim vel a forma substantiali, vel ab agente extrinseco, ~~...~~ in quantitatem immediate, a qua immediate extensionem accipiunt ~~imme diate~~, hoc est, habere partem extra partem, tanquam in proximo subiecto. quare adveniuntur

Quod ad 9.m attinet, non dubito corpus Christi extensum esse
in se ipso, licet non in ordine ad species sacramentales, et in ordi
ne ad spatium. Neque id implicat contradictionem. licet enim implicet

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

aliquid esse, et non alicubi in spatio, et de Christo verum sit dicere, esse totum et singula ipsius in quocumque puncto specierum et spatij, id tamen non impedit, quod in ordine ad se, caput sit extra pectus, et ita de reliquis membris: quoniam non habet partem unam extra aliam in ordine ad spatium, sed in seipso, atque in ordine ad se. Ad confirmationem dicendum est, illa esse vera, naturaliter, secus supernaturaliter ac per miraculum. Denique omnia, quae v. v. adducit, solum probant Christum non habere in sacramento partem extra partem in ordine ad species et ad spatium.

Quod ad 10. attinet, semper in ea opinione fui Sacramenta non esse causam gratiae physice, sed modo morali, tanquam ex institutione Christi continentia et applicantia merita passionis Christi, quae merita solum morali modo sunt causa gratiae.

Quod ad 11. attinet. Pater Possonius, dum mensibus praeteritis Madriti commorarer, me ea de re interrogavit, dicens, cuidam pio sacerdoti molestiam inferri, quod intentionem consecrandi hostiam habuisset, exceptis particulis, quas Deus decidendas ac casuras nec consumendas praevideret. Ego dixi, me credere nihil esse periculi in ea intentione consecrandi. quoniam ea conditione, non excluditur tota materia, sed solum pulveres, ex hypothesi quod decidant, nec consumantur, periculum quod sit irreverentiae circa illos. Et quoniam licet ipse incertum sit, an aliqui illo modo decident, et qui illi sint futuri, certum tamen iam est in divina praescientia quando consecratio fit, qui illi futuri sint, aut non, ac proinde consecratur certum, et determinatum in divina praescientia, tametsi occultum ipsi consecranti. Addidi, dissuadendas esse sacerdoti illi eiusmodi extraordinarias intentiones. Atque in hac eadem sententia propter has rationes persisto. Quod autem dicitur de absolutione (si Deus scit te restituturum). similiter dico eam absolutionem non esse sub conditione pendente in futurum, eo quod in divina scientia iam sit certum, num ille restituet, vel non, ac proinde, si Deus scit restituturum, conficitur sacramentum, sin vero scit non restituturum, sacramentum non conficitur. esset tamen valde culpandus, qui sub hac conditione absolveret, tum propter alia, tum etiam, quoniam si poenitens proxime recte est dispositus ad suscipiendam absolutionem ac sacramentum illud, quia vere habet animum restituendi, non est fraudandus sacramento ex eo, quod Deus praesciat illum non restituturum, vel quia propositum suum culpa mutabit vel quia aliqua alia ratione non restituet. quare sicut culpandus valde esset, qui ita absolveret, si Deus scit te non relapsurum, ego te absolvo; ita culpandus omnino, qui sub illa alia conditione de praesenti absolveret. Non est vero cur ita culpetur sacerdos, qui in reverentiam Christi et Eucharistiae, excipiat particulas, si quas Deus praescit decisuras, nec consumendas.

quod ad nostra opera attinet, quatuor tomos de Iustitia conficio.
Primus ~~[...]~~ iam est in lucem editus, ~~[...]~~ centumque
exemplaria secum patres in congregationem detulere. Secundum
breui finiam, qui totus est de contractibus, fortasse illum finiuissem
iam, nisi bis hoc anno necesse mihi fuisset Madritium petere ob ea, quae
a principio huius epistolae dixi. In tertio sermo est ~~tertius~~ de maioratibus, tributis,
furto, rapina et damno dato, de restitutione, ~~atque~~ et insuper continet ~~[...]~~
tertium et quartum tractatum, ex sex, in quos rem totam de
Iustitia distribuimus. Quartus duos ~~alios~~ reliquos continebit
tractatus. Si adhuc triginta annos viuerem, non ~~deerunt~~ essent opera,
quae ~~[...]~~ ederent, ~~in quibus erunt, quae [...]~~ in partes omnes
D. Thomae et quaedam alia

Binas V. R. literas Madritij accepi. Posteriores cum imagine, quando
conscendere iumentum volebam, ut in hanc reuerterer ciuitatem. Cau
sam mei itineris ad R. P. Leonardum Lessium scribo, a quo et
obnixe peto, ut V. R. (ac R. Patrem) Aegidium Schondonchum
participes epistolae illius ~~faciat~~ efficiat, ut onere pluries eadem scriben
di me leuet. Inde V. R. intelliget, breui me fortassis missurum
apologiam, ~~quae non parum roboris~~ quae post Appendicem eisdem
typis, quibus noua editio Concordiae, cudatur, ~~[...] Concordiae que adda~~
~~tur ergo addatur~~, unde ~~[...]~~ roboris, ~~[...]~~
~~[...] rebus, quae in Concordia pertractantur~~; unde spero non parum
roboris ~~[...]~~ accessurum ijs ~~rebus~~ rebus, quae in Concordia pertractantur.
Occasionem ~~illi~~ praebuere ~~insidiae~~ occultae insidiae, quas ~~eidem~~
~~Concordiae ac [...] in primam partem commentarijs~~ P. Banes et
~~simul~~ cum quibus item alij eidem Concordiae et commentarijs nostris in primam D. Thomae
partem parabant, quibus occurrimus, ut ex eadem epistola
V. R. intelliget. Nolem tamen, ut si noua editio typis nondum sit
mandata ~~sit~~, id eam retardet. Pater Franciscus ~~[...]~~ Eduardus rector
nuperque fuit Cordubensis collegij in Betica prouincia. Nunc audio
constitui socium prouincialis ~~illius~~ eiusdem prouinciae, aut professorem
Theologiae in illo eodem collegio. Plurimum illi sum deuinctus
ob singularem amorem, quo me prosequitur; frequensque mihi
est cum illo per literas communicatio ~~per literas~~. Imaginem ad ~~illum~~ eum mittam
una cum benevola V. R. salutatione. Agitur plus quam
annus ex quo primum de Iustitia tomum edidimus. Capsam ha
bebat Pater Relandez ~~[...]~~, in qua una cum alijs libris
hunc etiam (ex Roma mittebat) in hanc prouinciam ~~mittebat~~. Secundum tomum, qui to
tus est de contractibus, breui, dante Domino, absoluam. Pudore sane
suffundor, cum tanta beneuolentia me ~~complecti~~ a mihi amantissimis
patribus huius prouinciae Belgicae complecti video, tantamque de me
concepisse opinionem, qui nihil sum, longeque minus mihi tribuo.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Precibus et sacrificijs inprimis Illustrissimi Middelburgensis episcopi me multum commendo, cuius adversam valetudinem vehementer doleo. Deinde Reverendi P. Provincialis Olivery, R. P. rectoris Francisci Pratani ac R. V. Vale mi pater.

Non sum tantus, quantum R. V. pro summa animi sui submissione ac mira in me caritate et benevolentia esse existimat ac praedicat: quantulus tamen sum, meipsum in obsequium R. V. mihique carissimorum huius provinciae Patrum, quibus me multum debere profiteor, paratum invenio. Non minus sane nostra formidat calamus, stylo stilum scholastico assuetus, imo potius verecundatur, coram mihi amantissimis patribus apparere, quam pedester trepidet. Remittendum tamen impellit caritas, atque studium obsequendi. Quod ad typographum attinet, cum Lugduni Concordia nostra non aucta, in frustra concisa, ac dissipata typis mandata sit, nescio cur refugit, novam hanc editionem cudere. Praesertim cum codicibus Lugdunensibus aditus praeclusus sit in Hispanias, futurumque sit ut ubique terrarum viri omnes docti parvum hunc codicem, qui non multo pretio constabit, et in quo uno rationis dicta omnia continentur, libenter emant. Accedit quod, ut spero, apologiam brevi mittam, quae Concordiae addatur, de qua re copiose ad Patrem Leonardum Lessium scribo, a quo etiam peto, ut epistolam illam R. V. ac Rever. Patri Joanni Decherio ostendat, ne eadem saepius scribam. Imaginem accepi, quam in mutui amoris pignus, et memoriae causa ante oculos meos reservabo. Vale mi pater meque sanctissimis tuis sacrificijs Deo commenda